

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1863**

De Sanctis Martyribus Hispanis, Agento, Donato, Augustino, Salvio, Felice,  
Donato Presbytero, Floro, Gemonio, Pacio, Pausalino, Eugenio, Stephano,  
Philone, Felicitate, Cyriaco, Ebicario, Castolio, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

DE SANCTIS MARTYRIBUS HISPANIS,  
**AGENTO, DONATO, AUGUSTINO,**  
**SALVIO, FELICE, DONATO PRESBYTERO, FLORO, GEMINO,**  
**PACIO, PAUSALINO, EUGENIO, STEPHANO, PHILON,**  
**FELICITATE, CYRIACO, EBICIARIO, CASTOLIO, MOROSITO,**  
**CASTOLIO ET VII ALIIS.**

XI JANUARI.

**M**artyrologium ms. S. Hieronymi: In Hispaniis Agenti, Donati, Augustini, Salvii, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pati, Pausalini, Eugeni, Stephani, et aliorum xii. In antiquo ms. Hibernico conventus Dungallensis quorundam ex his mentio fit, nimurum Augusti, Donati, Felicis, Pausalini, Eugenii; nisi hic socius sit SS. Quinti, Januari, Philorum, etc. de quibus actum est. Aliorum detrita nomina sunt. Adduntur SS. Philon, Felicitas, Cyriacus, Ebiciarius, Castolius, Morositus, item Castolius. An hi ex duodecim illis sociis sunt, quorum Martyrologium S. Hieronymi retinet nomina? ms. Rhinoviense: In

Africa Felicis. *An hic est forte qui cum aliis in Hispania passus dicitur, et in alterutro loco mendum inest; Florarium Sanctorum ms. Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum, et Maurolycus iisdem prorsus verbis: Item Eugentii et Felicitatis Martyrum. Martyrologium Coloniense antiquum: Eodem die Sanctorum Eugenii et Felicitatis Martyrum. Hic forte Eugenius, aut qui supra inter Martyres Africanos, aut inter hos Hispanos recensetur. Felicitas seorsim celebratur in antiquissimis mss. Kalendarii monasteriorum S. Maximini et Epternacensis, quorum hoc annexetur ms. Martyrologio S. Hieronymi.*

DE SS. PETRO, SEVERO, LEUCIO,  
 CONFESSORIBUS, ALEXANDRIÆ.

XI JANUARI.

**B**eda, Usuardus, Ado, Notkeras, Bellinus, Maurolycus: Apud Alexandriam natalis sanctorum Confessorum Petri, Severi, Leuci, quorum gesta habentur. Vetus quoque Romanum, alia omnia Martyrologia Confessores appellant: solum Romanum ex editione Baronii Martyres facit. Leuci nomen varie expressum. In vetere Romano, ms. Hibernico conventus Dungallensis, et Maurolyco Lucius dicitur; in multis excusis et mss. Leontius: in Lubecana Usuardi editione anni 1473, Genuinus, uti et Severinus, Severinus: in Notker et ms. S. Hieronymi Leucus, in ms. S. Richarri Eutychius: in ms. monasterii S. Laurentii Leodii, Seleucus: in ms. Florario Leontius, alias Seleucus. Martyrologium ms. S. Hieronymi sic habet: In Alexandria Petri, Leuci, (deinde verbum unum alterumve est litura inductum) Confes. et Alolami. ms. Rhinoviense: In Alexandria Petri, Absalmi, Philorum. Absalmus idem hic est verisimiliter, qui in S. Hieronymi, Alolamus dicitur, de quo pluribus egimus in Januarii. De Philorum actum ante.

ronimi Leucus, in ms. S. Richarri Eutychius: in ms. monasterii S. Laurentii Leodii, Seleucus: in ms. Florario Leontius, alias Seleucus. Martyrologium ms. S. Hieronymi sic habet: In Alexandria Petri, Leuci, (deinde verbum unum alterumve est litura inductum) Confes. et Alolami. ms. Rhinoviense: In Alexandria Petri, Absalmi, Philorum. Absalmus idem hic est verisimiliter, qui in S. Hieronymi, Alolamus dicitur, de quo pluribus egimus in Januarii. De Philorum actum ante.

DE S. SALVIO MARTYRE IN AFRICA.

XI JANUARI.  
S. Salvii nat.

**H**ujus omnia Latinorum Martyrologium meminere; vetus Romanum, Adonis, Bedæ, Usuardi, Notkeri, Rabani, Bellini, Maurolyci, Galesinius, etc. addantque in ejus natali sermonem a S. Augustino habitum ad populum Carthaginem; cuius meminit Posidius in Indiculo cap. 3, per natalem S. Salvii Martyris contra supradictos, etc. At cap. 9, meminit alterius, de natali S. Salvii tractatus. Ejus corpus, ut scribit in Notis Galesinius, in basilica Carthaginensi honorifice religioseque olim reconditum fuit. *De eo Wandelbertus:*

Salvius hinc trinas Karthagine consecrat Idus. Male ms. Cusanum, Salvimus. Bellinus, Maurolycus, et alii, Silvium vocant: *editio Parisien. Usuardi anno 1436 male Salinum, et Lubecana anni 1473, Salinum: ms. Martyrol. monasterii S. Maximini Trevir. Sale. Perperam idem ms. et Rabanus Confessorem appellant, cum ceteri ex Posidio Martyrem fuisse tradant. Neque sat probatur quod ms. Martyrol. monasterii S. Martini Treviris, et ms. Ecclesie S. Mariae Ultrajecti habent Episcopum fuisse.*

**2** *Ne quis autem decipiatur, alias longe ab hoc est Alius Salvius Salvius ille haereticus Donatista factionis Maximianistarum. Membresitanus in Africa Pseudoepiscopus, qui, ut refert S. Augustinus lib. 4. Contra Cresconium Grammaticum cap. 48 et 49, coram Serrano Procos. a Restituot itidem Donatista, sed alterius factionis, jam gravis aetate accusatus, atque a Procos. ex Bajacensi Donatistarum synodo damnatus est. Sed cum pro defendendis ex quantacumque parte sedibus suis, etiam post Procos. judicatum, turbæ sibi faventis (Membresitanorum scilicet) fiducia repugnare tentaret, vicetus aliquando comprehensus est ab Abitinensibus, non jam ducendus ad judicium, ubi in partes fuerat prolatæ sententia, sed pompa miserabilis triumphanthus. Capto enim seni, mortuos canes aligaverunt in collo, et sic eum illo quantum libuit saltaverunt: et quidem, ut idem ait Augustinus lib. 3, contra epistolam Parmenianum cap. 6, ad turpes voces cantationesque plorasque et confumelias intulerunt. Non tamen narrat Augustinus ab iis occisum, ut vult Baronius in Notis hic, qui Pseudomartyrem appellat.*

DE